Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

to omnis in unum ille volucres congregatae, relicto
flumine montesque silvas petierunt, non sine ad-
miratione multorum, quod tantam in Martino virtutem vi-
derent, ut etiam avibus imperaret. Aliquamdiu ergo in vico il-
lo vel in ecclesia ad quam ierat commoratus, pace inter cle-
ricos restituta, cum iam regredi ad monasterium co-
gitaret, viribus corporis coepit repente destitui, convo-
catisque discipulis indicat se iam resolvi. Tum vero maeror
et luctus omnium, vox una plangentium: Cur nos
pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis?
Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. Et quis eos
a morsibus nostris percusso pastore prohibebit? Scimus
quidem desiderare te Christum, sed salva sunt tibi tua praemia
nec dilata minuentur. Nostri potius miserere quos deseris.
Tunc ille motus his fletibus, ut totus semper in domino mise-
ricordiae visceribus affluebat, lacrimasse perhibetur. Conversusque
ad dominum hac tantum flentibus voce respondit: Domine,
si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem:
fiat voluntas tua. Ita nimirum inter spem amoremque
positus, dubitavit paene quod mallet, quia nec hos
deserere nec a Christo volebat diutius separari. Nichil
tamen in voto suo ponens aut voluntati relinquens,
totum se domini arbitrio potestatique committens. Nonne
tibi his paucissimis verbis dicere videtur: Gravis quidem
est, domine, corporeae pugna militiae, et iam satis est quod usque
certavi; sed si adhuc in eodem labore pro castris tuis
stare me praecipis, non recuso nec fatiscentem causabor
aetatem. Munia tua devotus implebo, sub signis
tuis quoad ipse iusseris militabo. Et quamvis op-
tata sit seni missio post laborem, est tamen animus
victor annorum et cedere nescius senectuti. At si iam
parcis aetati, bonum mihi, domine, voluntas tua; hos vero
quibus timeo ipse custodies. O virum ineffabilem,
nec labore victum nec morte vincendum, qui in nullam
se partem pronior inclinaverat, nec mori timuerat
nec vivere recusavit. Itaque cum per aliquot dies vi febri-
um teneretur, non tamen a divino opere cessabat. Pernoctans oratio-
nibus et vigiliis, fatiscentes artus spiritui servire coge-
bat, nobili illo stratu suo in cinere et cilicio recubans.
Et cum a discipulis suis rogaretur ut saltem vilia sibi
sineret stramenta supponi: Non decet, inquit, filii, christianum
nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum reli-
quero, ipse peccavi. Oculis ac manibus in caelum semper
intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et
cum a presbyteris qui tum ad eum confluxerant rogaretur ut cor-
pusculum lateris mutatione relevaret: Sinite, inquit, si-
nite me, fratres, caelum potius respicere quam terram, ut suo iam
itinere iturus ad dominum spiritus dirigatur. Haec locutus
diabolum videt prope assistere. Quid hic, inquit, adstas,
cruenta bestia? Nichil in me, funeste, reperies: Abrahae
me sinus recipit. Cum hac ergo voce flagitatum divinis
operibus spiritum caelo reddidit. Testatique nobis sunt qui affuerant
iam exanimi corpore glorificati hominis vidisse se
gloriam. Vultus luce clarior renitebat, cum membra cetera
ne tenuis quidem macula fuscaret. In aliis etiam et in illo
tantum artubus non pudendis septennis quidam pueri
gratia videbatur. Quis illum umquam cilicio tectum,
quis cineribus crederet involutum? Ita vitro purior,
lacte candidior, iam in quadam futurae resurrectionis
gloria et natura demutatae carnis ostensus est. Iam vero
in obsequium credi funeris non potest quanta hominum
multitudo convenerit. Tota obviam corpori civitas
ruit, cuncti ex agris atque vicis multique etiam ex vicinis
urbibus affuerunt. O quantus luctus omnium, quanta praeci-
pue maerentium lamenta monachorum, qui eo die fere ad
duo milia convenisse dicuntur. Specialis Martini
gloria, eius exemplo in domini servitute stirps tanta fruc-
tificaverat. Agebat nimirum ante se pastor extinctus
greges suos sancti illius multitudinis pallidas turbas,
agmina palliata, et aut emeritorum laborum senes aut iu-
ratos in Christi sacramenta tyrones. Tam virginum cho-
rus fletu abstinens prae pudore, cum laetandum potius illi
esse sentiret, quem iam suo gremio dominus confoverat,
quam sancto dissimulabat gaudio quod dolebat. Si
quidem fides flere prohiberet, gemitum extorqueret af-
fectus. Etenim tam erat sancta de illius gloria exultatio quam
pia de morte confusio. Ignosceres flentibus, gratu-
lareris gaudentibus, quia et pium est flere Martinum,
dum unusquisque et sibi praestet ut doleat, et illi debet ut gau-
deat. Hoc ergo beati viri corpus usque ad locum sepulchri
hymnis canora caelestibus turba prosequitur. Comparetur
si placet saecularis illa pompa, non dicam funeris sed triumphi:
quid simile Martini exequiis conferetur? Ducant
illi prae curribus suis vinctos post terga captivos: Mar-
tini corpus hi qui mundum ductu illius vicerant prose-
cuntur. Illos confusis plausibus populorum honoret insa-
nia: Martino divinis plauditur hymnis. Martinus
psalmis caelestibus honoratur. Illi post triumphos su-
os in tartara saeva truduntur: Martinus Abrahae sinu
excipitur. Martinus hic pauper et modicus caelum dives
ingreditur. Illinc nos, ut spero, custodiens me haec
scribentem atque legentem.

Incipit dyalogus Severi, ubi Postumianus edisserit pro-
speritatem navigationis sue et omnem peregrinationis
sue hystoriam.